



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1553. usque ad annum 1557

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 9011857X

§. 126. Buaco in prælio occisus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66565](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66565)

Sæcul. XVI.
A. C. 1557

prospera; cum enim Abdala ejus Filius cum copiis suis recta Fezam tenderet, ibidem mox obvios habuit ambos Buaconis Filios, Muleyum Nazerum, & Mahometem, a quibus ejus exercitus fufus, fugatusque fuit.

§. CXXVI.

Buaco in prælio occisus.

Hac tamen clade Cherifius, qui tum Tafiletum obsederat, minime territus, hanc urbem expugnabat, illamque valido præsidio muniebat, & postea itinere Fezam versus directo, Buaconi occurrit, moxque cum eo manus conferit, ubi inito prælio admodum cruento tandem diuturno huic bello finem imponit; quippe Buaco acrius fervente pugnandi, vincendique aviditate accepto in femore Lanceæ ictu exanimis cecidit, quo conspecto mox omnes, qui eum in terram corruisse cernebant, in fugam versi sunt, ceteris quoque pedem referentibus, ac præprimis Muleyus Nacerus, qui penes Buaconem Patrem suum decertabat, cum exiguo suorum agmine ad vicinos montes se recepit: alter vero ejusdem Filius Mahometes Fezam cum quinquaginta Equitibus ingrediebatur, cum vero ibidem civium animos plurimum tepere cerneret, urbe exiit,

ac

ac sese Nazero fratri suo conjunxit, ubi ^{Sæcul. XVI.}
 tamen ambo conscenso mercatoris Chri- ^{A. C. 1557.}
 stiani navigio, cum oram Hispaniæ le-
 gerent, ab Armoricæ piratis capti sunt.

§. CXXVII.

Mahometes Cherifius mortuus.

Itaque Cherifius Fezam ingressus, reli-
 cto ibidem Abdala Marocum reversus
 est, inde vero Susam contendit, quod
 tamen iter ei sat funestum accidit; cum
 enim Salaraisio paulo ante mortuo Ha-
 zes Hariadeni Barbarossæ Filius Alge-
 rium, quod cum regio imperio ipsius Pa-
 ter tenuerat, obtineret, isque suspectam
 maxime potentiam Cherifii haberet,
 cum quodam ejusdem secum nominis vi-
 ro, qui latrociniis, & homicidiis infam-
 is erat, atque ultro operam suam de-
 ferebat, agit, ut Mahumetem Cherifium
 quavis ratione de medio tolleret, quem
 in finem hic latro nomine Hazen, ac si
 ab Algeriensi Rege ob acceptam injuriam
 profugeret, cum viginti conjuratis per
 Tremecenem iter instituit, & nulla mo-
 ra interjecta Fezam venit, ubi ementi-
 tam sui adventus causam exposuit Ab-
 dalæ Turcarum genti infenso, qui ea, li-
 cet falsa foret, cognita mox Hazem ad
 Patrem suum, qui tum Maroci agebat,
 contendere jubet, a quo etiam non so-